

**Dissertatio medica inauguralis de dysenteriae pathologia et cura ... /  
eruditorum examini subjicit Joannes Wilson.**

**Contributors**

Wilson, Joannes.  
Woodforde, James  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Edinburgi : Excudebant Oliver et Boyd, 1823.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/tdun49q6>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



DISSSERTATIO  
INAUGURALIS

DE  
DYSENTERIA  
ET CURA

ASSUENTE SUM  
RE ADQUISITIONE SANCTE  
D. GEORGII B.

ACADEMIE EDINBURGH

ANTHONIUS SENATUS ACADEMIE  
MEDICINAE FACULTATIS

Pro Gradu

FORNICATIONE IN MEDICINA  
RITE ET LEGITIME

EDINBURGH

JOANNES V.

SCOT  
IN CLASSE REGIA

—  
—  
—

Kalendar Augusti, huius

EDINBURGH

RECTORIATU OLIV

WICKHAM

(M.) 104

DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
DYSENTERIÆ PATHOLOGIA  
ET CURA;  
QUAM,  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,  
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,  
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.  
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;  
NECNON  
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET  
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;  
**Pro Gradu Doctoris,**  
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;  
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT  
JOANNES WILSON,  
SCOTUS,  
IN CLASSE REGIA CHIRURGUS.

---

— Tentaturumque remedia similia illis, quæ vicino malo sæpe  
succurrerint. CELSUS.

---

*Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.*

EDINBURGI:  
EXCUDEBANT OLIVER ET BOYD.  
MDCCCXXIII.

DISSERTATIO MEDICA

IN AGRIUM

DE

DYSENTERIE ET PATHOLOGIA

ET CURA

JOANNIS WEIR M.D.

PHYSICIAN IN CHARGE

OF THE HOSPITAL FOR THE COLORADO TERRITORY

D. GEORGE BAIRD, M.D.

ACADEMIC RICHMOND, VIRGINIA

ADAM, ASSISTANT

OF THE HOSPITAL FOR THE COLORADO TERRITORY

OF THE HOSPITAL FOR THE COLORADO TERRITORY

JOHN STANLEY, M.D.

OF VIRGINIA

ASSISTANT IN MEDICAL HOSPITALS IN VIRGINIA

WITH AN APPENDIX CONTAINING

VERIFICATION OF THE HOSPITAL

JOHN W. WILSON

SCOUT

IN CHARGE OF THE HOSPITAL

PROFESSOR

OF THE HOSPITAL FOR THE COLORADO TERRITORY

JOHN W. WILSON

PHYSICIAN

OF THE HOSPITAL FOR THE COLORADO TERRITORY

PHYSICIAN

JOANNI WEIR, M.D.

UNI E CURATORIBUS MEDICIS

AD CLASSEM REGIAM, &c.

HANC DISSERTATIONEM

UTPOTE PIGNUS ÆSTIMATIONIS

OB VIRTUTEM,

VENERANTIÆ OB INGENIUM, ET

ANIMI GRATI OB BENEFICIA

IN SE COLLATA,

DEDICAT AUCTOR.

DISPUTATIO

JOANNI WEIR, M.D.

UNI E CURATORIBUS MEDICIS

AD CLASSEM REGIAM &c

HAEC DISSERTATIONEM

UTROVE PIGNUS VERTUTIS

ON VIRTUES

VENERANTIE OB INDEBITUM ET

ANIMI GRATI OB BENEFICIA

IN SE COLLATA.

DEDICAT AUCTOR.

— *Wesley de Grey.*  
with the author's Copy.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSENTERIÆ PATHOLOGIA  
ET CURA.

PROCEMIUM.

**I**N locis temperatis Dysenteria haud frequens est, et modicis plerumque signis, lento progressu, fausta terminatione. Calidis vero regionibus, maxime inter Tropicos, sæpe Epidemica est cum signis gravissimis; cursum suum celeriter peragit, et nisi prompte atque prudenter ei Medicus occurrerit, lethum dirissima strage

undique spargit. Ultimam hanc formam observationes sequentes respiciunt: quippe quia morbus longe magis importunus sit, et ea demum Dysenteriae species est, circa quam experientia nostra praecipue versata est.

#### DE SIGNIS.

DYSENTERIAE indicia tam saepe, tamque accurate tradita fuerunt, ut iis hic recensendis summa brevitate utar: utpote quae signa praecipua tantum, quo ordine semet vel sequantur vel comitentur, compendio dicere properem.

Quamvis nec aegro semper observata, nec medico deprehensa, Dysenteriam plerumque solita indicia ingruentis Febris praenunciant. Multis tamen exemplis primum signum attentionem quod vindicat, levamenque postulat, dolor abdominis est, quem dejectiones stercoreae Diarrhoeae haud absimiles, saepe comitantur. His autem brevi accedunt mucosae, dolentes, sanguine tinctae, tenesmus mediocris. Pulsus simul acceleratus, cutis calida, sitis molesta est:

nausea et vomitus subinde vexant. Hæc signa plerumque ante vigesimam quartam horam ingravescunt, et alia quoque adjiciantur. Monitus ad alvum exonerandam crebriores evadunt; dolor longior est et gravior ante et post singulas dejectiones, quibus plus sanguinis nunc videtur; quin et secretiones intestinales varios colores et crassitudinem exhibent. Tenesmus molestior est, cutis calidior, pulsus celerior, sitis major; lingua nunc sicca est, sæpe sordibus onusta, colore suo fere omni exemplo diverso, quin omni ejusdem pene exempli stadio, vario. Nunc omnia in pejora ruunt: dolores cruciabiles, sæpe continui sunt, tenesmus molestissimus, perpetuum dejiciendi desiderium cum conamine vehemente, musculis simul abdominalibus et diaphragmate in actionem conspirantibus, vique nitentibus: dejectiones puro ex sanguine constant, prolapsus ani adest, lumborum dolor, stranguria. Pulsus frequentissimus est, sed abnormis quoad vim ac plenitudinem. Cutis calet quam maxime, aretque, nisi inter violentiam atque dolorem nitendi, quum sudores nonnunquam inæquales prorumpunt. Sitis per-

petua urget, lingua densa obtegitur crusta, vomitus frequens est, sæpe singultus. Abdomen tensum est, atque ex pressura lenissima dolet.

Nullus nunc artis conatus, nulla vel quantitas vel qualitas medicamenti exhibendi minimam stercoris glebam exprimere nunc valet. Hoc statu morbus nisi prudenter fortiterque cohibitus, curriculum suum lethale cito finiet. Æger tormentis agitatus, misere se jactat, modo potum, modo scaphium alternatim postulans. Dejectionum sanguinearum frequentia non minuitur, tenesmo simul torminibusque auctis. Sitis non levatur, vomitus frequentior est, venter magis intumet. Animus hebes fit, oculi cavi evadunt, singultus magis vexat; aliquando et cutis flavet. Nunc autem minus calet, atque subsultus tendinum accedit. Floccos e stragulis æger legit, vanas in aere ob oculos imagines carpit; quamvis id maturius et faustiore morbo subinde accidat. Pulsus debilis fit abnormis. Æger sibi mussitat, plorat, sed nihil conqueritur. Tunc sequuntur extremorum frigus, spiritus difficilis, profluvia involuntaria, *facies Hippocratica*, mors. Talia plerumque sunt Dysen-

teriæ Tropicæ violentioris indicia; atque tale, lethaliū ejus exemplorum curriculum; quamvis, si accurate loqueris, fortasse nulla duo exempla per omnia sibi similia pronunciares. Inde fit, ut alium auctorem stranguriam Dysenterię, alium singultum, nisi mortis indicium, negantem videmus. Non deest mihi causa cur alterutro dissentirer; atque mirum utique videtur, quemvis medicum qui multas cujuslibet morbi varietates viderit, unicum certum symptomatum catalogum, omnibus aliis exclusis, sibi deligere.

## DE DYSENTERIÆ PATHOLOGIA.

ETIAMSI diversos apud scriptores diversis temporibus permultæ Dysenterię causæ propositæ fuerunt, optimi autem recentiores vi cuidam aëris ambientis, excretionem cutis prohibenti, morbum attribuerunt. Hanc sententiam multa corroborare videntur; omnibus enim exemplis primus actionum morbidarum catenæ articulus, conditio quædam arida cutis,

secernendo inepta est, quæ durat donec morbus subactus fuerit. Sive enim a strictura, spasmo, vel debilitate pendet, non constat, sed ut res ita se habeat, constans, perpetuum est: Sudores enim partiales qui sub doloris vehementia, vel musculorum actione prorumpunt, contra nihil faciunt. Neque tamen facile est eam certam aëris conditionem quæ mutationem morbidam superinducit, invenire; quoniam in diversis sub eodem latitudinis circulo locis, eademque pene aëris temperie gaudentibus, Dysenteria cum quod ad frequentiam, tum quod ad violentiam attinet, diversissima est. Verbi causa, in Jamaicensi quam in Barbadosensi insula crebrior sæviorque apparet; necnon in Nova Aurelia quam in Pensacola, in Minorca quam in Malta. Fortasse aëris calor diminutus, humiditas aucta, ex stagnis putridis evaporata, hunc morbum præcipue gignant. Ingesta quædam ut causæ remotæ agere videntur; saltem minime infrequens est, post fructus, uti *Bromeliæ Ananæ*, avidius sumptos, vel vinum liberalius potatum, de Dysenteria accessibus audire. Sive vero hæc sola, sine vi aëris auxiliante morbum generant, sive

ut causæ prædisponentes tantummodo agunt, dictu difficile est. Primo enim morbi curriculo arida, constricta, cutis conditio aequè manifesta est, ac si nulla talis causa suspecta fuisset. Hæc igitur cutis conditio, quacunque de causa effecta, *origo mali* est, fons perpetuus malorum quæ subsequuntur, inter quam, *causamque proximam*, vel morbi essentiam, nexus satis evidens est. Cur, in hoc autem exemplo perspiratio obstructa originem daret Dysenteriae, potius quam Pneumoniae vel alii inflammationi internæ, nondum bene expositum fuit. Conditio tamen quæ corpori proclivitatem dat, secundum Dom. Bampfild, ingeniosa est, sed quæstionem non solvit. Cur in regionibus ab eo citatis modo Dysenteriam ciet, modo Febrem, Hepatitidem, Choleram morbum? Quocunque res se habeat, in Dysenteria, originem dat fluxui sanguinis intestina versus aucto, secretionibus ab eorundem tunica interna largioribus, torminibus, tenesmo, universæque signorum morbo priorum seriei. Hæc signa in primo morbi tempore inflammationem tunicae villosæ indicant : atque progrediente morbo, alia

oriuntur signa totius canalis, alvi inflammationem monstrantia, saltem gravioribus exemplis; atque cadaveris inspectio eadem indicia confirmant.

Tormina crudelia, quandoque dolor continuus, abdominis tensio, pressus levissimi intolerantia, recti inflammatio, quam ani prolapsus patefacit, nausea, vomitus, lingua sordibus tecta, sitis, subita debilitatis viriumque prostratarum perceptio, qualiter enteritidi adesse solet, urina parca, colore saturrimo tincta, manifeste inflammationis signa, gangræna, quæ non tantum in intestina, sed in contiguis quoque visceribus cadavere secto prodeunt;—indicia sunt, de quibus quid cogitare debemus? quodve nomen morbo quem consituunt gignuntque, nisi inflammationem tribuere oportet? In omnibus aliis corporis partibus illud talibus nomen est, cur igitur hic appellatio mutetur? Rebus iisdem dissimilia imponere nomina, vel inter se non differentes verbis distinguere, ineptire est, nec rem medicam unquam promovere potest.

Scriptor\* quidam inflammationi, ut causæ

---

\* Dr Johnson on the Influence of Tropical Climates, p. 353.

proximæ Dysenteriae illud objecit quod excretiones in Dysenteria augentur, quales in enteritide non videntur. Bene autem alius\* respondet, Pneumoniam sæpe auctam e Bronchiis secretionem exhibere; neque ideo tamen minus eum morbum inflammatorium reputamus, vel auxilia in inflammationem idonea negligimus. In inflammationibus membranæ narium, faucium, urethræ, secretiones auctæ sæpe sunt, sed has nos morbos auctæ actionis vocamus atque ut tales curamus. Quin et species enteritidis sola est, quæ aucta secretionem caret; nam, in Erythematica, secretio aucta princeps morbi indicium est. Quandoquidem signa Dysenteriae inter Tropicos ortæ eo directe, et, ni fallor, necessario ducunt, ut morbus ex intestinorum inflammatione consistat, aut topica aut generali, levi vel gravi, pro stadio aliusque præsentis mali conditionibus; ita constat, uti internæ inflammationis præsentia plane ac facile signorum hujus morbi rationem reddere potest. Hæc ex converso probatio, ut opinio sibi consistat vel consider-

---

\* Dom. Bampfild's Essay on Tropical Dysentery, p. 103.

antibus persuadeat, omnino necessaria est, atque absoluta videtur.

De uno quidem morbi jam maxime exacerbati signo singulari dici potest, ut inflammatio non explicabit—nempe pertinace, peneve insuperabili stercoris retentione. An vero illa coli strictura, quæatur, continua, quæ certe nonnullis morbi formis temporibusque adest quamque Cullenus causam ejus putavit, hoc phænomenon explicare potest? Nequaquam. Etenim in Recti intestini strictura organica et permanente, stercoraceæ dejectiones contingunt. Neque variæ aliæ Hypotheses Dysenteriæ, veluti humorum putredo, bilis vitiata, vasorum mesentericorum plenitudo, hujus rei rationem reddere possunt.

Neque vero hoc signum fictum est. Pauci Dysenteriam etiam regionibus mediocriter calidis curarunt, quin illud viderint, et ægre tandem superarint; et illi qui inter Tropicos morbo contenderunt, non tantum præsentiam ejus, sed frequentiam pertinaciamque in Dysenteria facile testari possunt. Quandoquidem “Medici, haud secus quam alii periclitantes, cognitionem mali

propria experientia percipiunt;”\* nos quoque hunc morbum nimis sæpe et vidimus et sensimus. In India Occidentali, quando Dysenteria laborans medicaminum purgantium aliam post aliam dosin devorarem ut ipse olim doctus, tum quoque persuasum fuit mihi dolores omni nova quantitate auctos reperiri; nec unquam stercoris dejectio obtineri potuit, donec aliis auxiliis adhibitis, vehementia morbi diminuta fuisset. In hujus rei igitur causam, tunc et postea, ut inquirerem, adducor: nec sine admiratione viderem adeo singularem, summique momenti, attentionis vel investigationis medicorum vix aliquid attraxisse. Quid ex hac inquisitione deduxerim, ordine proponam quam brevissime. Quod autem tale symptoma Dysentericis revera contingat, Dom. Bampfild quoque librum† de Dysenteria Tropica citare possum, opus non tantum novissimum, sed plenissimum, et multimodis optimum, quod ad Dysenteriae pathologiam atque curationem. In descrip-

---

\* Dr Trotter, De Medicina Nautica, vol. i. 382.

† Essay on Tropical Dysentery.

tionibus suis generalibus, æque ac historiis traditis eum maxime ob oculos habuisse stercoris emolitionem, nec tamen eum unquam propositum suum attigisse donec sanguinis missio, vel alia contra inflammationem remedia admota fuissent. Hanc evacuationem in Dysenteria curanda summi æstimat momenti, omnibus ad eam usus est modis moliendam, sed frustra. Hujus rei historiæ ab illo traditæ, licet ipsi inobservatæ, probationes certissimas præstant. Historia Angusi Graham\* notabilis est. Iste homo ðiiss. Calomelanos, ʒi. Jalapæ, ʒx. Sulphatis Magnesiae, grana x. Ipecacuanhæ, cum multo sennæ infusi prius devoravit intra biduum, quam stercus in dejectionibus appareret; quo ipso tempore, notandum est, salivatio accessit. Eandem rem omnes aliæ historiæ testantur.

Hic mira purgantium copia, sine solito effectu, data est. Quin eodem tempore membrana mucosa humores, qui ea juvarent, copiose excernebat. Diaphragma et musculi abdominis vehementer agebant, nulla tamen stercora

---

\* P. 122.

prodierunt. Hujus igitur conditionis potentem aliquam, licet minus observatam causam, subesse oportet. Ab his igitur aliisque exemplis, a propria experientia, et cruciatu perpetuo, ab omnibus morbi signis, mihi apparet, quod, in ea forma stadioque nunc consideratis, motus intestinorum peristalticus quasi suspensus sit, *quod tunica musculosa resolvitur*, quantum ad functiones proprias vermiculares pertinet; quod conditio demum inducitur Colicæ Pictonum similis, licet causa diversa orta, diversisque signis organicis comitata.

Tormina tenesmus aliique sensus acute dolentes indicare actiones spasmodicas intestinis tunc adesse videntur; quæ tamen actiones non possunt adjuvare, facile tamen retardare sterco-  
ris dejectionem. Sed intestinorum conditio maxime inflammata, valde irritabilis, flatu porro, fluidisque acribus stimulata his signis originem dare potest, sine spasmi interventu. Crebræ humoris excretiones, dicatur, sequuntur et originem sumunt ab actione vehemente Diaphragmatis musculorumque abdominis quam constat exerceri, dum intestina omnino quiescunt;

atque eadem operatione prolapsus ani proveniet.

Qualiscunque igitur causa Dysenteriae proxima sit, liquet, hanc suspensionem saltem motus peristaltici musculorum semper contingere; atque ostendere conabor, hanc suspensionem cum actione inflammatoria, in qua causam proximam esse puto, satis apte competere. Evidentia tamen analogica sola erit; quippe quod manifestum sit, nullum de re hujusmodi directum testimonium offerri posse.

Quum fibra muscosa inflammata est, vis ejus contractilis peculiaris plerumque multum minuitur, aliquando prorsus opprimitur. An vero hæc vis nervosæ intercapedo debita sit spatiolis inter globulos (e quibus musculos constitui recentiores fingunt) lymphæ infarctis, ideoque motum globulorum in se actione musculorum necessario impredientibus; an partibus nervosis ob vascula se arcte amplectentia jamque turgentia oppressis, an alii demum cuivis causæ; res ipsa certissima est; utpote quæ ex Rheumatismo, Podagra, vulneris sclopetarii inflammatione, abunde videtur. His tamen exemplis,

nos dolor motu auctus decipiat, et conditio musculorum qui voluntati subjiciuntur, quæ omnem irritationem necessario evitabit. At vesica urinæ inflammata facultatem lotii expellendi amittit; et quod ischuria a vi contrahendi sublata pendeat, vel inde ostenditur quod catheter talibus ab initio facile demittitur; in iis scilicet quibus nec paralysis communis, nec viarum obstructio subest. In Iritide quoque vis musciosa membranæ perit; atque hæc immota manet, donec inflammatio subacta fuerit. Dicere igitur licebit eam suspensionem præsentí inflammationi nequaquam repugnare.

## DE CURATIONE.

DE Dysenterię Tropicę acutę curatione acturus, remedia eo qui mihi commodissimus apparet ordine tradam, et propemodum eo quo illa ad morbum curandum valent.

Morbi Pathologia quam proposui sanguinis missionem necessario indicat, uti primum simulque potentissimum auxilium. Ab Ætii usque

temporibus hæc curatio summos fautores habuit, sive ut præcipuum sive ut auxiliarium remedium in Dysenteria; quamvis tanta plerumque timiditate, totque restrictionibus laudata est, ut utilitas ejus multis exemplis aut nulla fuit, aut valde imminuta. Dum Botallus,\* Cleghorn,† Bampffield,‡ ea uti primo et maximo suo auxilio nituntur: Pringle,§ Lind,|| Trotter,¶ Blane,\*\* Eloy,†† haud sine multis dubiis cautelisque ad eam confugerunt: nec desunt alii qui periculosam habent vel ut perniciosam prohibent.

Quod Dysenteria diversas formas iisdem locis temporibusque aliis assumat, hanc igitur diversas curandi rationes postulare verisimile est; neque

\* De Curatione per Sanguinis Missionem, cap. iv. p. 132, et sequent.

† Diseases of Minorca, p. 252.

‡ On Tropical Dysentery, p. 101, et sequent.

§ Diseases of the Army, p. 260.

|| On Preserving the Health of Seamen.

¶ Medicina Nautica, vol. i. p. 382.

\*\* Observations on Diseases of Seamen, part 3. p. 455.

†† Memoire sur la Dysenterie, p. 84.

mirum forte est si medicis non minus diversæ placerent sententiæ de curatione hujus ac multorum aliorum morborum. Conceptu vero haud facile est, cur in gravi Dysenteria Tropica qualem vidi et descripsi, sanguinis missio aut prorsus omitteretur, aut non nisi pro remedio auxiliari et dubio adhiberetur. Quid monstrat dissectio? Inflammationem ac sequelas ejus. Quid cutis ardor, sitis insatiabilis, lingua sordida, dolor crucians postulant? Certe omnia quæcunque actionem nimiam quam celerrime domare poterunt. Nemo de sanguinis mittendi in Enteritide necessitate dubitat; et quamvis morbus de quo sermo est haud ita subito lethalis evadat, tamen multa non tantum similia sed eadem in signis persuadent ad ea remedia confugere quæ alium et consimilem casum restituerunt. Dixi Dysenteriam quam Enteritidem minus sæpe letho subito desinere; sed multa exempla sunt quibus progressus ejus haud minus rapidus est quam in inflammatione intestinorum communi.

Quantitas sanguinis detrahenda, ejusque repetitionis frequentia, a conditione rei præsentis

ut pendeat necesse est. Unciæ xxiv. imprimis sufficient plerumque, atque mature detrahi debent; quoniam celebris Georgius Baker eques bene scripsit, "Optimum erit occurrere ipsis principiis, atque auxilia mature præripere."

Statim post primam sanguinis missionem, balneum calidum, si fieri potest, adhibendum erit; sin minus, fomenta abdomini perseveranter admota. His solis remediis mature adhibitis, morbus aliquando cedit, brevi sed perfecta reditione ad valetudinem subsequente. Si tam illud minus fieret, post venæsectionem, prout opus visum, repetitam, xii. vel xviii. hirudines ventri admotæ, tantum sanguinis quantum vim in morbum haud mediocrem exercent, commodè detrahent. Vel si hirudines, ut sæpe navigantibus contingit, non manu sint, sanguinis aliquantum, cucurbita incisionibusque adhibitis inde abstrahatur. Si post talia auxilia, dolores fixi, vel graves generales perstent, vesicatorium abdomini applicari potest; quod tamen raro necessarium erit, nec sine gravi causa admovendum, quippe cujus irritatio sæpe ægri miseria crudeliter augebit.

Priusquam tamen remediorum externorum usus hactenus provectus fuerit, interna præberi debent; atque Diaphoretica prima sunt medici attentionem sibi vindicantia; utpote quæ, remedia jam laudata juvando, ad causam remotam tollendam optime accommodantur; quæ morbias actiones eam cum ipso morbo, veluti quadam catena, connectentes interrumpant, quæ humores intro ad canales sibi proprios retropellant, eoque humoris circulantis æquilibrium restituat, cumque eo sanitatem. Horum remediorum selectio ab ægri conditione ut pendeat, oportet, sed hæc quoque, nec raro, dolendum est, a copia medicaminum, quæ medico tum suppetit, nititur. Sed plerumque Pulvis Ipecacuanhæ compositus satis bene respondet. Num vero illud medicamentum vim aliquam antidysentericam possideat, prorsus nescio, quamvis propensior sum, ut crederem, id cutis secretionem vel alias excretiones augendo, solum prodesse. Tanta autem ventriculi multis irritabilitas est, ut omnis Ipecacuanhæ forma rejicitur, atque ut alia medicamenta adhibeantur, opus est. Vitrum antimonii olim

tam celebre, hodie prorsus obsolevit, atque antimonii quidem formula quaecunque, uti in alvum descendere, eamque magis irritare quam cutem movere, valde proclivis, remedium omnino ambiguum est. Fortasse nihil hujusmodi aqua ammonia acetata melius est, scilicet ad semunicam crebro repetita, cum paucis Tincturæ opii guttis singulis adjectis.

Hæc auxilia, prompte, mature, atque prudenter adhibita, ægrum, ni fallor, e plerisque Dysenteriae formis ad sanitatem perducere valebunt. Quomodo tamen signa forte oborta sint lenienda, dicere supersedeo; sed aeris cubi- culi temperies variis gradibus et statibus morbi quam aptissime accommodanda est. Regimen necessario rigide refrigeratorium esse debet; quantoque minus cibi assumitur, tanto melius ægro erit. Oryzae decoctum gratum est, atque potum quo nullus salubrior, sitienti præstat.

Diu tamen inter Tropicos commoratis, prioresque accessus perpessis, viscerumque concoctioni servientium malo quovis laborantibus, nimis sæpe contingit, ut horum maturissimus imo prudentissimus usus valetudinem

restituere non potuerit. Talibus, post primam signorum violentiam subactam, manent tormina dolentia, dejectiones dysentericæ, inquires, cutis suffusiones cum sudoribus alternæ, longa demum indiciorum molestorum series, quæ ægrum fatigant, atque, ni iis occursum fuerit, ad mortem proripiunt. Iis Hydrargyrus summi momenti remedium est. Quomodo autem prosit, nequaquam obvium est, neque multum refert. Quacunque autem ratione agat, prima fortasse operatio hic antiphlogistica est; secunda vero sedativa. Ubicunque enim Hydrargyrus vim aliquam purgantem exercet, nocet, omni ad dejiciendum nisu perniciose exasperante. Ejus optima formula submuriæ est, cujus vim opii aliquantulum adjectum auget. Quinque grana illius cum sesquigrano hujus commista, bis vel aliquando ter indies exhibita, symptomata omnia plerumque mire sublevant, plerisque exemplis penitus curant. Opium utile videtur maxime ut Calomelas per alvum decedere prohibeat, partim forte ob vires anodynas; quamvis nonnullorum medicorum opinio est, opium ita conjunctum virtutem ali-

quam in inflammationem possidere, quæquidem facultas a dotibus ejus notioribus vix ac ne vix quidem suspicanda esset.

Hæc compositio paucos intra dies saluberrimum præstat effectum. Dolores subsident, alvi dejectiones, cutis grate humida, evadunt; redit cibi cupiditas. Dum hæ mutationes fiunt, salivatio plerumque accedit, sed hic effectus nequaquam necessarius est, quoniam curationes sine salivæ fluxu sæpe efficiuntur, licet scriptoribus quibusdam alias visum sit. Quin et corporis constitutiones aliquæ repertæ sunt speciales, qualibus nulla Hydrargyri copia ingesta salivam ciere potuit. Sed in talibus, ni fallor, observator diligens semper aliam quandam secretionem valde auctam, frequentissime cutis vel renum, inveniet; atque verisimile est; quod per omnes fere vias excernentes vim suam exinaniendi peculiarem exercere potest, sive ad syphilidem, sive alium quemvis morbum curandum adhibitus sit.

Enemata adjuvando medicamenta acria supra dicta sæpe utilia invenientur. Ut hæc e rebus diversis conficiantur præceptum est; sed

aquam tepidam huic formæ morbi optime convenire existimo.

Medicamenta Cathartica in Dysenteria curanda diu laudata sunt. Quamvis enim Bontius,\* Wallis,† alique, ea perinde ac alia evacuantia, prorsus vetuerunt; tamen ab Alexandro Tralliano, longe plurimi medicorum eadem adhibuerunt, ut prima, vel ad minimum, ut secunda remedia huic morbo accommodata. Cleghorn,‡ purgantia non adhibuit, donec signa inflammationis vehementioris sublata essent; atque Eloy,|| eo consilio, ut videtur, emetica dedit, ut actionem intestinorum imminueret. “Pour interrompre la direction trop rapide du mouvement intestinal;” additque, “lorsqu’on peut placer de legers purgatifs, on n’en doit pas perdre l’occasion.” Longe autem plures medicorum, qui non adstringentibus, vel cardiacis, aliisve innisi sunt, horum medicaminum sum-

---

\* De Medicina Indorum, cap. 3, p. 23.

† Pharm. Rational. cap. 3, p. 68 ad 74.

‡ Diseases of Minorca, p. 252, 253.

|| Memoire sur la Dysenterie, Art. 7, p. 84.

mam utilitatem in omni morbi stadio inculcaverunt. Verum enimvero, in ea saltem Dysenteriae forma de quo sermo est, et doctrinae firmitatem, et praxeos incolumitatem vehementer dubito; observatione atque experientia propria doctus. Vigente utique inflammatione dejectiones stercorosas a purgantibus, quanta vel qualiacunque demum ea essent, nunquam produci vidi. Ea tamen pene ad extremum propinata vidi; et quamvis alia omnia signa aggravata essent, certe sine desiderata tantum evacuatione. De hac re iterum ad librum Dom. Bampffield refero.\* Ibi enim purgantium remedium vim immensam exhibitam reperimus; nec uno quovis, ni fallor, exemplo, stercus dejectum est, nisi venæsectio vel Hydrargyrus prius adhibitus esset. Historiam Angusii Graham, atque copiam purgantium sine effectu ei datorum, jam citavi. Sed in historia J. Macfarlane, ubi ad magnam quantitatem sine effectu propinata fuerant; cum syncope demum, sanguine detracto, superducta esset, æger “ *se*

---

\* Essay on Tropical Dysentery. Cases.

*alium hominem factum*"\* statim exclamavit; fæces sequebantur, et homo cito revaluit. Quin si immensae illorum medicamentorum quantitates stercora depellere valerent, nonne irritatio ab iisdem major esset quæ ipsis stercoribus accumulatis in intestino fieret? Multis morbus supervenit cum crebris alvi profluviis, atque eorum accumulatio, verisimile est, non valde nocitura est. Illustris Medicus Joannes Pringle Baronettus exemplum narrat, quo, sectione cadaveris facta, neque scybala, neque "fæces formatae," reperiiebantur, intestina tamen inflammata, gangrænosa; licet huic ægro quoque purgantia satis libere propinata fuerant, quo stercora cumulata expellerent.†

Posito igitur stercora medicamentis expelli posse, quæstio eo redit,—num plus mali sordibus retentis, vel a remediorum ad eas tollendas irritatione, metuendum est; sin autem non expelluntur, nulla quæstio de hac re moveri potest. Duorum igitur malorum posterius

---

\* Essay on Tropical Dysentery, p. 264.

† Observations on Dysentery, p. 243, et sequentiæ.

multo majus mihi apparet. Glans plumbea in parte musculosa pene inaccessa demersa, ideoque protinus ab initio non extracta, irritamentum utique eidem fit: sed cum inflammatio, tensio, dolor supervenerunt, an expertus chirurgus vulnus rimaretur glandem quærens, vel forcipem ad eandem extrahendam immitteret? Minime. Expectaret donec idoneis auxiliis adhibitis, partes flaccescerent, et dolore liberatæ essent; atque tuto facileque eximeret. \*Moseley ait "often in (Dysentery) fluxes, when from carelessness and cold, antimonials have had their whole force and action turned upon the bowels, they have increased the determination of fluids there, and brought on sudden death." Mirum est, hujus sententiæ scriptorem, ipsa eadem pagina purgantia, in Dysenteriae Indiæ Occidentalis curanda, usum commendasse!

Quum Inflammatio prorsus subacta est, purgantia fortasse tum admitti possunt, etiamsi tunc quoque ambigua perquam auxilia, ut

---

\* Observations on the Dysentery of the West Indies, p. 7.

pote quæ vasa mesenterica ad auctam actionem incitent, cutis secretiones minuant, eoque morbum regenerent: certe plerisque in exemplis intestina sine eorundem ope functiones sibi proprias resument.

In Dysentericis illis alvi affectibus, quæ regionibus Borealibus crebro occurrunt, nullus dubito quin purgantia sæpe curationem efficere valeant; sed inter eos affectus, et morbum de quo scribimus, similitudo non major intercedit, quam inter Catarrhum et Pneumoniam.

Quamvis notiones Bontii de Dysenteria vagæ, medendi methodus iners, erant, in hac tamen ejus sententia multum veritatis inesse puto. “Metus est ne, ex levissimo laxativo  
“irritetur, ac majore cum impetu, ad partem  
“affectam feratur, cum incredibili ægri cruci-  
“ciatu, et certa sæpe pernicie.”\*

---

\* Medicina Indorum, cap. 3, p. 24.

potest quare vasa mesenterica ad hanc actionem  
incitant, cuius secretiones minuant, eoque mor-  
bum regerunt: certe plerique in exemplis  
intestina sine corruptione opus functiones sibi  
propriis reseruant.

In Dysenteria illis aliis affectibus, quae re-  
gionibus lateribus crebro occurrunt, nullus  
habito quod purgantis saepe constitutionem efficere  
valent: sed inter eos affectus, et morbum de  
quo scribitur, similitudo non minor intercedit,  
quasi inter Catarrhum et Peritonitum.

Quamvis notiones Bonii de Dysenteria  
vagas, inveniendi methodus inter, erant, in hac  
tamen eius sententia multum veritatis inesse  
videtur. "Alius est, ne, ex levissimo laetivo  
affectu, ne magis cum impetu, ad partem  
affectam laetatur, cum incredibili egri cru-  
entur, et certa saepe perniciem."



